da, vel caliditate simul, & partium tenuitate, quæ sine siccitate esse nequit. Quare acria omnia, & mordentia gustum, & olfactum, vt sunt aromata, præcipuam vim habent attenuandi, ac omnino calida, & sicca à secundo ad tertium gradum cum partium tenuitate. Amara verò, salsa, & nitrosa non attenuant tantùm, sed abstergent. Sunt igitur facultate attenuandi prædita omnia diuretica, sudorifica, digerentia, discutientia, exobstruentia, menses mouentia, calculum fragentia, pituitam, & melancoliam præparantia, vt non sit necessarium propriam attenuantium tabulam construere. Sufficit obseruare aliqua attenuantia esse frigida, aut temperata, quæ sunt partium valdè tenuium.

Incrassantia, siue

Κλερύνοντα.

INcrassantia tenues humores cogunt. vniunt, & quasi compingunt, vel tenuis partis absumptione, cuius causa terrestrior diffluere desinit; magis igitur vnitur, & incrassatur: vel tenuium partium adhæsu, & veluti conglutinatione. Absumitur pars tenuis, cum à calido resoluitur, vel frigido expriment, & condensate Quocirca triulex erit condensantium ordo.

Primus frigidorum, quæ sicca sint, siue humida: magis autem incrassant frigida, & sicca, modò sint crassarum partium, vt glutinantia omnia austera, & acerba.

Secundus est calidorum crassarum partium, quæ minùs proprìè incrassant cùm humor priùs fundatur, & tenuetur à calore, quàm tenuium partium resolutione spissior fiat a calore. Ideo etiam frigido existente humore, non admodum tutum iudico calidioribus vti, nisi adstringendi vim habeant, vel frigidis retundantur.

Tertius est eorum, quæ vi emplastica, & glutinositate adhærent, vnde peti debent incrassantium materia ex tabulis adstringentium, glutinantium, epuloticorum, emplasticorum, arteriacorum, expectorantium bilem, sistentium fluxus, repellentium, & soporiferorum.

Incidentia.

INcidentia conueniunt facultate cum attenuantibus cum lentor, & crassities sese mutuo comitentur, ac eadem ratione partes crassæ, & glutinosæ diuiduntur, atque abscedunt à medicamento calido, partiumque tenuium sese insinuante in crassi, viscidique humoris substantiam. Differunt tamen incidens, & attenuans facultatis ratione; nam vt multis diuisionibus, quod priùs

hæ.